



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suaui Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt XII. Alia à Pontifice agitata ad rem Parmensem Placentinamque componendam; & dissidia inter Iudium & Farnesios hinc exorta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11665

1550.

C A P V T XII.

Alia à Pontifice agitata ad rem Parmensem Placentinamque componendam; & dissidia inter Iulium & Farnesios hinc exorta.

^a Diarium,
6. Septembr.
1550. &
mandata Ca-
mariano tra-
dita, vt infra.

^b Mandata
illi data
27. Ianuarij
1551.

Sollicitudo non modica Farnesios inceserat, ob ius quod sibi tribuebat Cæsar, & ob machinationes, quas moliebatur Gonzaga. Quapropter Octavius in carcerem ^a coniecerat Ioannem Franciscum Sanseuerinum, suspectum arcanae communicationis cum Cæsarianis, qui proinde acrius exulcerabantur. Iulius anxie cupiens hanc scintillam extinguere, per quam Christiana Respublica maximo incendio inuolui posset, Bertanum peculiaris Nuntij nomine ad Cæsarem misit; iniunxitque vt illum edoceret, quantum ipsi conueniret huiusmodi litem componere, ^b quantumque disconueniret Pontifici quod Mendoza proposuerat, hoc est, vt Iulius vtramque urbem iure beneficiario traduceret ad Cæsarem, qui vectigal Ecclesiæ penderet: Beneficiarios, qui viribus omnino præpollerent, non aliud nisi nomine tenus subditi munus exercere, quod ex regno Neapolitano liquebat: Purpuratorum collegium numquam illi rei consensurum: per id iustitiam violatum iri, non sine offensione cunctorum Principum, & eorum potissimè, quorum Italiæ res intererant: Cæsari ad Mediolanum tuendum Parmâ opus non esse; nam Placentia quoddam claustrum, catenamque præualidam ex vno latere cum Cremona & Pado, ex altero cum Ligusticis montibus continuabat. Esse quidem Parmam haud parum opportunam Cæsari ad alios oppugnandos, cum in præsentia veluti propugnaculum Mutinam, Rhegium ac Bononiam tegeret: proinde cunctos Italicos Principes intentius eò spectaturos; non quidem quòd ab ipso Carolo, cuius optimæ menti fidere poterant, tunc sibi metuerent, sed in posterum ab incertis successorum affectibus. Quare Pontificem, si eam alienæ ditionis, Italiæ quasi clauem, dexteræ ad eò potenti traderet, in grauem & culpam & infamiam incursum. Tria itaque proponebat:

Aut mutuam tolerantiam, de qua egimus, amotis quibusuis quæ offenderentur obstaculis, & Farnesii auctoritate Cæsaris cum Gonzaga conciliatis: Aut vt Octavius vtramque urbem acciperet ab vtroque Principe, pari que iureiurando clientelam vtrique profiteretur; excepto, si alter alteri arma moueret: vt Cæsar arcem Placentinam, vrbisque custodiam quoad libuisset retineret; vt vrbis illi

illi gubernator non nisi Cæsari acceptus imponeretur; nec Octauius commorari Placentiæ liceret: Aut ut per conditiones antea memoratas Octavius supremum Parmæ dominum solum Pontificem, Placentiæ verò solum Cæsarem agnosceret pro eo tempore, & saluis utriusque iuribus. Percupere Pontificem, ut sibi quamprimum aliquid disertè responderetur, cum certus esse non posset, se in officio contenturum eos Principes iuvenes, mœstitiâ oppressos, & de Cæsaris animo pænè desperantes: esse sibi compertum, non deesse illis acutos stimulos, quibus vel homines maturiores minusque irritati præcipientes agi possent. De ipsorum fide, ubi firmaretur concordia, dubitandum non esse, præsertim adiectâ Pontificis & sacri Collegij auctoritate, & Octauiio paratum animum gerente, unâ cum coniuge & Alexandro filio ad ea quæ Cæsar præscriberet domicilia subeunda. Impositum quoque Bertano fuit, ut si Cæsar nulli fideret temperamento, dum Farnesij ex propinqua Parmæ possessione ius in Placentiam meditabantur, adeoque stimulus aderat inimicitia ac perturbationis, illi offerret, Pontificem, ubi Cæsar omne ius in Parmam Farnesij concederet, ipsi Cæsari beneficiario iure traditurum Placentiam, cuius proventus aliqua saltem ex parte alibi Farnesio compensaretur à Cæsare.

3 Ac meritò quidem affirmabat Pontifex, se diutius certum esse non posse, in officio Farnesios contenturum. Importunè contigit, ut per viam Bertanus in morbum incideret; adeoque complures dies de eo nihil audiretur. Quamobrem Farnesij, quibus consciis missus hic fuerat, & postulata delaturus, quippe illorum familiaris studiosus, spem in eius opera collocatam abiecerunt: atque uti extremi timoris est ad extrema ausa compellere, Octavius, cum videre sibi videretur ingruentem in momenta cladem, ac horribilem illam metamorphosim, è Principe in priuatum, ad consilia se flexit Horatij, qui studio & affinitate Gallus, omnem familiam ad Gallorum factionem trahere contendit; ratus non solum Octauij, sed suam pariter dominationem firmatam iri, cuius ditionem Castrensem potuisset sibi iure repetere Octavius maior natu, si quando eis bonis spoliaretur, quorum loco eam Horatio cesserat; nec minus etiam ratus, ubi tamquam galea familiam tutaretur, fore pariter ut eandem tamquam caput regeret.

4 Vbi hæc consilia suboluere Pontifici, mirum in modum agitatus est. Voluebat ille animo: aut ipse Octauij inceptum progredi sine-
ret, aut illi repugnaret. Si progredi sineret, numquam Cæsarem inducturum in animum, id inconsulto Iulio peragi, iis præsertim

c In mandatis Dandino traditis, ad Cæsarem misso, infra citandis.

d Vide Adrianum lib. 8.

Historia
Concilii Tri-
dentini
lib. II.
cap. 12.

1550. spectatis, quæ tum ante Pontificia Comitia, tum in ipsis euenerant, & beneuolentiâ, quam is in Regem Galliarum profitebatur: proinde dissolutum iri animorum coniunctionem, quam ad eum studiosè idem quæsierat, & in qua pacis ac Religionis spes vnice nitebatur. Præterquam quòd obtentus Cæsari præberetur, quo citra notam auiditatis, aut violatæ reuerentiæ, posset Parmam aggredi, & in ea non ampliùs vexillum & clientem Ecclesiæ, sed externos suos hostes inuadere; vnde necesse foret Pontifici, urbem suam spectare à duobus maximis Principibus bello petitam, quorum alteruter illâ potiretur, supremo in eam iure Ecclesiam spoliaret, apertumque in ditionem Ecclesiasticam aditum obtineret. Sin è contrario Octauij consiliis obliteret, quidquid per inermes sententias censurasque opposuisset, tum à Cæsare tamquam fictum, tum ab aliis tamquam debile despectum iri: si arma in Henricum moueret, ea certè & perturbacionem Concilio, & inimicitiam Pontifici cum Principe supra ceteros sibi coniuncto allatura; se verò arduis ac periculosis tricis implicatura, & nouis etiam tributis impositis, quæ bellum, insaturabile illud monstrum, perpetuò deuorat, in extremam calamitatem redactum iri Ecclesiasticam ditionem, tot iam vectigalibus oppressam, exhausto iam ærario ob ingentes sumptus quæ ad Concilij sustentationem, quæ ad suppetias expeditionis Germanicæ collatas, quæ ad Parmæ custodiam, quæ ad interregni functiones, & quæ etiam ad largitiones, quibus Iulius sui Pontificatus initio, benefico magis animo quàm prudenti vsus fuerat; ad eum ut paulò antè in Senatu differuerit de aliqua excogitanda suaui ratione, quæ ordinariæ indigentia consuleretur.

§ 3. & 20. O.
 Febr. 1550.
 in Actis
 Consistoria-
 libus.
 f 16 Febr. vt
 est in man-
 datis, & Dia-
 rio.

g Litteræ
 Dandini ad
 Pighinum,
 18. Febr.
 1551.

Statuit igitur, Petrum Camaianum, suum intimum cubicula-
 rium, celeriter Parmam mittere: ^f qui Senis iter faciens, cuncta quæ
 sibi fuerant in mandatis tradita Mendozæ tunc ibi degenti com-
 municaret, vt suspicionem quamdam de Pontificis animo in Cæ-
 sarianis abstergeret, opinantibus iam illum nouis Farnesiorum mo-
 litionibus conuiuere. Mandata Camaiano per scripta hæc fuerant:
 Sanseuerinum liberandum curaret, vbi ex non certis suspicionibus
 esset in vinculis: ob oculos Octauio poneret rationes supra memo-
 ratas, propter quas haud fas erat Pontifici permittere vt ille Gallos
 acciret, & ab ipsis stipendia caperet, præcipuè ^g cum is Ecclesiæ esset
 Vexillifer, & supremus armorum Præfectus, cum annuo triginta
 millium scutorum stipendio, atque id Farnesio interdiceret, denun-
 tiam commissa perduellionis poenâ: ab eodem exigeret, vt super ea
 re per syngrapham sibi cautum foret. Demonstraret Farnesius, quas
 in

in ærumnas se præcipites agerent, si^h Carolus V. hostiliter offenderent, qui extemplo & Octauium, & vtrumque Purpuratum Farnesium cunctis prouentibus tum profanis tum Ecclesiasticis, ab illis in ipsius ditione possessis, spoliaturus esset, & æquam speciem habiturus ad expugnandam Parmam arma inferendi, ab irato Gonzagæ brachio administrata, quibuscum Pontifex adigeretur, & vt contumaciam plecteret, & ne urbem Ecclesiæ aliis occupandam relinqueret, suas omnes vires tam profanas quàm sacras consociare. Atqui si Octauius ea consilia abiceret, posse illum meliora sperare per patrocinium Pontificis, de iis rebus sollicitè agentis cum Cæsare, qui cum Farnesiis cognatione, cum Pontifice reuerentiâ & amicitia coniungebatur: at vtumque res cederet, Pontificem illi non defuturum. Quod si Camaianus nequiret Octauium alio modo flectere, offerret illi Parmensis Principatus loco Camerinensem, prouentu potiorem, agro ampliorem, & ab externis tutissimum: reddita enim Pontifici Parmâ, nec Cæsarem nec Gonzagam stimulatam iri iis suspicionibus, quæ ad præoccupandam aggressi-
nem eos incitabant.

Verùm Octauio, inspectis Cæsarianorum dictis factisque, videbatur in obiecta spe niti non posse: & quod ad permutandum Principatum atinebat, censuit ex Parmæ in Camerini possessionem non tam dominationis transitum esse, quàm casum; quare non difficiles modò, sed surdas aures præbuit cohortationibus Camaiani. Sunt qui tradunt, cum Octauius angustiis, quibus premebatur, Pontifici expositis opem ab illo implorasset, Iulium obtentâ ærarij inopiâ respondisse, quâ posset ratione sibi consuleret: ex quo Farnesius interpretatus est tacitam quamdam veniam sibi datam muniendi se quacumque posset, atque id ipsum Camaiano vt se purgaret causatum: sed nulla hac de re fit mentio in commentariis, qui ad meas manus peruenere.

⁶ Pontifex, cognito per Camaiani * litteras obfirmato Farnesij animo, infra supremi Principis dignitatem existimauit, si minister ipsius apud contumacem clientem diutius moraretur. Quare statim regredi Camaianum iussit; ita tamen, vt antè tria Diplomata traderet coram testibus, quibus posset: vnum Octauio, quo is vetabatur per irrogatam patræ perduellionis pœnam, & per bonorum omnium proscriptionem, exterum militem in Parmensem ditionem admittere: aliud Paulo Vitellio, cui præcipiebatur, vt non obtemperante Farnesio confestim abiret: tertium Cardinali S. Angeli, per quod reuocabatur Romam ad suum exercendum mu-
nus

1551.
h Extat in
mandatis
Dandini.

Est in man-
datis Nuntio
traditus.

* Litteræ
Dandini ad
Camaianum,
17. Febr.
1551.

1551.

Est in di-
ctis Dandini
mandatis, &
in epistola
eiusdem ad
Bertanum,
16. Maij
1551. & in
alijs eiusdem
litteris.

nus summi Pœnitentiarij. Sed certè duo priora vt inermia, ita nec formidata.

Nec faciliores Henricus porrexit aures Nuntio, ¹ Pontificis no- mine illum retrahere connitenti: quin ipsi accidit quod ei contin- gere solet, qui alicui præcipuum adiuventum suppeditauit ad do- minatum obtinendum, amplissimamque sibi remunerationem ceu debitam prætolatur, ideoque ob mediocrem se malè acceptum pu- tet; qui odiosus euadit, ac tandem hostis. Rebatür Henricus, sibi gratias potius à Pontifice habendas, quòd ipse vellet Parmam illi suis viribus vindicare ab occupatione minis à Cæsare intentata, quam Placentiæ iam peregerat. Credidit proinde, Iulium per in- gratam aduersum se propensionem in Cæsarem, restituisse Oratori suo id ipsi Romæ offerenti. Idcirco acerbè respondit, vulgauitque encyclicam epistolam, quâ cunctis Episcopis Galliæ denuntiabat, vt per sex menses ad suam quisque Ecclesiam reuerteretur, quò earum incommoda obseruarent, seque ad celebrandam peculiarem Gallicæ nationis Synodum compararent. Sed iniuria æstuanti ani- mo illata id efficit, quod æstiuæ pluuia, quæ densis è nubibus mi- nitabunda aut leniter instillata calorem auget, nec nisi vbertim profusa reperficit. Potius itaque Iulium, quippe feruentis ingenij, ira quàm metus inuasit; non tamen tantum ille concepit iræ, quin studuerit bellum declinare, toleranter ea passurus quæ Parmæ mo- uebantur, dummodò id bonâ Cæsaris pace sibi liceret: sed vbine- cesse foret cum altero inimicitiam suscipere, statuit adhærere Ca- rolo, vt qui in profanis Italiæ rebus, & in sacris Germaniæ Chri- stianæque Reipublicæ, potentior Gallo erat, qui que nihil Pontifi- cem factò læserat, cum Henricus in urbem Ecclesiæ se inuito pe- netrasset. Ita planè res habet: beneficij dulcedo, quo quis ab altero ad principatum euectus est, in bilis amaritiam corrumpitur, vbi ille qui nunc beneficium contulit, tam imperiosè se gerit, ac si habuerit in animo mancipium, non Principem reddere.

C A P V T XIII.

Concilij Præsides designati: admonitio Pontificis ad Octauium Farnesium denunciata: Dandinus ad Cæsarem, & Ascanius Corneus ad Henricum missi.

Acta Con-
sistor.

Pontifex inter suæ ditionis curas Concilij negotium haud omisit. Ideò in Senatu 4. Martij * illius Legatum destinavit (cum adhibere Ceruinum non liceret, nimis à Cæsare in hisce rebus alienum) Marcellum Cardinalem Crescentium Romanum,

in